

quibus petivi quatenus dictum magistrum Arnoldum non absolveretis sed prorsus ad suum excommunicatorem remitteretis et ut cognosceretis ex dictis allegacionibus et ut pronunciaretis dictam excommunicacionis sententiam — justam et legitimam fuisse et esse, et ut cognosceretis et pronunciaretis, utrum appellacio sua devolvat (sic) an non, et ut ipsum ad priorem judicem remitteretis condempnatum legitimis in expensis —. Quam petitionem meam vobis oblatam admittere non curastis, ymmo nimis prepropere dictum magistrum Arnoldum absolvere presumpsistis et sine cause cognicione in continenti, eadem durante instancia judicii, pronunciare temere attemptastis dictam causam appellacionis magistri Arnoldi ad vos esse devolutam, in magnum domini mei et mei et juris nostri prejudicium et gravamen. Deinde petivi ut dictum gravamen per vestram interlocucionem cum effectu revocare curaretis⁷¹⁾ et ut interloquendo pronunciaretis, utrum petitionem meam admittere vel gravamen mihi illatum tollere velletis an non. Quod facere pertinaciter non curastis.

Ex hoc ego magister Paulus procurator predictus, sciens dominum meum et me jam gravatos esse et in posterum plus posse gravari, pro domino meo, pro me et pro omnibus nobis adherentibus seu in posterum adherere volentibus ad sanctam sedem apostolicam in hiis scriptis provoco et appello et apostolos peto primo, secundo, tercio et iterum cum instancia mihi dari, subiciens dominum meum, me et omnes nobis adherentes —, jura res possessiones et personas protectioni dicte sedis. Protestor eciam quod hanc appellacionem intendo prosequi, corrigere, mutare, innovare, declarare cum omnibus suis clausulis oportunis, quando et quociens videbitur expedire. Lecta et interposita est hec appellacio anno domini M^o. CCC^o XXXV^o in vigilia beate Margarete virginis, presentibus honorabilibus dominis et viris domino Vulrado de Hesnem canonico majoris ecclesie Magdeburgensis, magistro Thiderico de Hedewighessen, magistro Hinrico⁷²⁾ dicto Schutten, fratre Peregrino ordinis fratrum minorum, domino Hinrico rectori scolarium in Cerwust, Hinrico de Helmstede, Johanne Publico, Johanne Hosenmekero et Heynone Questeken ac quam pluribus aliis [fide dignis]⁷³⁾.

(Signum
notarii.)

Et ego Hermannus de Huxaria publicus
auctoritate imperiali notarius *u. s. w.*

3. Notariatsinstrument vom J. 1416 April 29 über eine von Peter von Luban Bürger zu Meissen dem dortigen Canonicus Nic. Tubinheym gemachte Schenkung zur Fortsetzung seiner Studien in Leipzig.

Mit dem in zwei Teile zerschnittenen Pergamentblatt, welches das Notariatsinstrument enthält, war das Holz auf der Innenseite des Hinterdeckels von Ms. 930 (Jacobus

⁷¹⁾ „curaretis“ über der Zeile eingeschaltet mit Einweisungszeichen.

⁷²⁾ Das die Zeile schließende „Hinrico“ ist am Anfang der nächsten wiederholt.

⁷³⁾ Die beiden Worte sind wegradiert.